Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

et perpetua virgo permansit. Stupet moyses in visione rubi quia videt ardere et non comburi. stupeat iudeus. iocundetur christianus. miretur omnis mundus quia virgo partu velut rubus ardet; sed virgo pariens non corrumpitur. ceu rubus non comburitur. Rubus dat ardorem et non comburitur. virgo gignit prolem et ipsa non corrumpitur. Hic rubus flammivomus. id est Maria virgo hodie concipitur. hic rubus optimus et universitatis fructibus. id est mater salvatoris hodie in sue alvo matris generatur. Beata hec conceptio! que toti mundo est invecta unica redemptio.

Hodie in radice iesse plantata hec fructifera virgo scilicet gloriosa et regalis Maria pullulans in matre concipitur. hodie virge floris lilii convallium germen in regali corpore incorporatur: hodie materies humana in christo in qua humanatur. in qua mundus liberetur. in qua hostis iugulatur de homine producitur. In hac die dilmi virginis et omnipotentis dei matris celebratur conceptio. unde omnis fit redemptio. unde publici iuris quo sathan hominem tenebat silentium. iusticium. unde salus. unde vita floruit. unde mundi nefas. unde mors occubuit. Hodie virgultum ysai in nucem prodit dauiticam. ut amigdalum dominum ihesum christum pariat. Hodie de regalis vitis sarmento progeminet illustrissime conceptum vineus palmes beata scilicet virgo et gloriosa Maria concipitur. ut ex eodem palmite botrus ille celestis qui a duobus viris in vecte ligneo quondam gestabatur in terra promissionis nascatur. Virga mirum in modum mirabilis et singularis floris. arbor regia pomorum modum percara et specialis amigdali. palmes vere divinissimus et super omne humanum sermonem mundans. unice botri stella fulgentissima huius arduj et immensibilis maris citra ultraque omne sidus corusca iusticie solis. virgo pulcherrima alma suavissima! sed quod est eximium inter omnia virgo theotika unigeniti parens! hodie omni mundo salus concipitur. Beata virga concepta. sancta arbor accepta. felix hic palmes cuius hodie celebratur conceptio! sanctissima luminis stella. que hodie mundo illuxit in matre suscepta! tota divinitus data virgo theotica est que hodie de patre sancta emanavit in matrem! de cuius conceptione gaudent angeli et collaudant filium dei. Si sanctus Ieremias antequam exiret de vulva sanctificatus est. et si prius quam formaretur esset in utero a domino est cognitus. quanto magis ista beatissima virgo que dominum portavit creatorem mundi. ante conceptionem et ex quo matris est in alvo concepta a domino est cognita quam fuisset concepta! quia prius quam formaretur matris in utero a domino est electa et pre cunctis preelecta. ut per incarnationis mysterium christo dei filio rex

israel habitaret in tabernaculo suo. Sed in ventre parentis antequam egrederetur fuit sanctificata. id est deo universorum creatori sancita et firmata. ut ex ipsa sanctus sanctorum christus filius dei benedicti per quem omnis fit sanctificatio et benedictio gigneretur. Si precursor domini Iohannes adhuc ex utero matris sue conceptus spiritu sancto repletur: quanto magis hec gloriosa virgo que illum concepit in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat. ex quo concepta est spiritu sancto repleta est? Ergo si veritate premittitur quod inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne baptista qui viam domino preparavit in heremo. sic eodem spiritu recte astruitur quod inter natas mulierum non surrexit maior Maria virgine theotoca que filium dei patris mortalibus obtutibus visibilem edidit. Sed dicis o iudee quid de Marie conceptione tantopere scrutaris. cum de eius conceptu quo ipsa concepta est nusquam pagina divina loquatur? Sed attende naturali rerum consequentia id evenire. ut posito consequenti die antecedenti die nil addubites. Nam quia virginem concipere in utero et filium parere cuius sit nomen emmanuel. licet te invito prophetale sanxit oraculum. quam virginem Mariam hanc fuisse cuius hodie illuxit conceptio. angelicum Gabrielis archangeli affatum. numine perfecto et archano monstravit eloquio. virginem tenes quod posterius est. illam fore prescripture documenta prius conceptam natamque manifeste convinceris. Illud quoque ad tue confusionis maiorem cumulum adicies o iudee. quod tibi suffragaturum arbitrabaris. Dicis enim si conceptus tue virginis sanctus esset non diceret scriptura tam crebra relatione concepit et peperit filium! sed quandoque per eandem virginis tue reverentia referret! concepit et peperit filiam. Ad quod tibi respondendum quia per feminam mors introivit in orbem terrarum. et hec invidia diaboli ob id sepe nomen in faciendo vel patiendo reticetur femineum. Sed et pharao rex egipti. id est diabolus rex tenebrarum harum vivere feminas. id est vicia! et mori masculos. id est virtutes precepit. Apostolus quoque velatas capite iubet ipsas incedere propter angelos quos viderunt in albis sedentes unum ad caput et unum ad pedes ubi positum fuerat corpus ihesu! quando ipse mulieres exterrite sunt et absconderunt facies suas. vel debent habere velatum caput propter angelos. id est propter presbiteros qui sunt angeli domini exercituum. sicut dicit Malachias. labia sacerdotis custodiunt scientiam dei et legem requirunt ex ore eius quia angelus domini exercituum est. Ergo propter eos debent habere velatum caput: ne dum dei sacramenta conficiunt presbiteri forma mulieris ad aliqua illicita pertrahantur. Ob id ergo rebusque similibus rari oracula divina perimpserunt quia